

**DEFOE DANIEL, NEWMAN  
FRANCIS WILLIAM**

**REBILIUS CRUSO:  
ROBINSON CRUSOE, IN  
LATIN; A BOOK TO  
LIGHTEN TEDIUM TO A  
LEARNER**

**Francis Newman**  
**Daniel Defoe**  
**Rebilus Cruso: Robinson**  
**Crusoe, in Latin; a book to**  
**lighten tedium to a learner**

*[http://www.litres.ru/pages/biblio\\_book/?art=25091940](http://www.litres.ru/pages/biblio_book/?art=25091940)*  
*Rebilus Cruso: Robinson Crusoe, in Latin; a book to lighten tedium to a*  
*learner:*

# Содержание

CAPUT PRIMUM	8
CAPUT (II.) SECUNDUM	26
CAPUT (III.) TERTIUM	36
CAPUT (IV.) QUARTUM	46
Конец ознакомительного фрагмента.	51

# Daniel Defoe

## Rebilus Cruso: Robinson Crusoe, in Latin; a book to lighten tedium to a learner

### PREFACE

This book was composed when the writer was a Professor of Latin, as part of a larger scheme. He has long been convinced that the mode of teaching Latin has become less and less effective in proportion as it has been made more and more scientific. The effort has been general to confine the pupil to the most elaborate styles and the most approved classics, and the exercise of memory has been superseded by minute accuracy in the study of very limited pieces. In the natural mode we have enormous endless repetition and much learning of the names of things. We begin with short sentences and a very limited number of verbs; and we learn with the least possible number of *rules*. If we could talk in Latin, that would be of all best; but as we cannot get exercise in talking it for practical needs, no teacher can hope to gain adequate readiness and facility: or if a few might, yet this could not be counted on in any general system. It has long

been my conviction that we ought to seek to learn a language *first*, and study its characteristic literature *afterward*. Greek and Latin literature plunge us into numerous difficulties all at once, inasmuch as their politics, their history, their geography and their religion are all strange to the young student. To take difficulties one by one is obvious wisdom; and with a view to this I elaborately maintained in an article of the *Museum* (No. iv., Jan., 1862, Edinburgh) that we ought to teach by *modern* Latin. As parts of such a system I have executed and published a Latin “Hiawatha,” and Latin Verse Translations of many small pieces of English poetry. If I could write Latin conversations *that would interest learners*, I should gladly have undertaken this: but when I tried, I could not invent matter that seemed interesting enough. This indeed is my objection to Erasmus’s “Colloquies,” which also are not easy enough in idiom to satisfy me. This “Robinson Crusoe” I thought I could make very interesting, and it includes a far greater variety of vocabulary than can be obtained from any of our received classics of the same length. I hope also the style is easy.

I surely need not apologize for taking only the general idea from Defoe. His tale is far too diffuse, too full of moralizing and with too little variety. He was very ignorant of the Botany and Zoology of the tropics, and when his tale is faithfully abridged, its impossibilities become too glaring. The Arabic “Robinson Crusoe” published by the Church Missionary Society cuts down Defoe’s story unmercifully.

I am indebted to my former colleague, the late Professor T. Hewitt Key, for the translation of Robinson into the name Rebilus. He also approved of Ignipulta for *a gun*, not as strictly grammatical, but as good enough to pass with Latins who were familiar with the word Catapulta. From him also I adopted Cannones, for *cannons*, and Pistola *a pistol*. The word Canna, a cane (or hollow tube) seems to be the root of Cañon, a *tube* or *cannon*, in Spanish, whence the American cañon for a tunnel, or larger tube.

After I had executed my own Rebilus (finally completed in 1861), I learned that a Frenchman, Goffaux, had published a "Robinson Crusoe" in Latin and French. On discovering this, I stopped the printing which I had begun, and after some delay succeeded in getting the book. But on perusing it I found his principles of remodelling the tale to be fundamentally the opposite of mine, concerning which I need not enlarge. I like his Latin, yet do not think his book supersedes mine. But if teachers can practically use his with advantage, I shall be well satisfied.

I wish here to renew my protest, that no accuracy of reading small portions of Latin will ever be so effective as extensive reading; and to make extensive reading possible to the many, the style ought to be very easy and the matter attractive. To enable us to talk, we ought to have a vocabulary that includes all familiar objects, – which the Classics of our schools cannot give us. Terence, though somewhat too difficult, would have great excellencies for the learner; but the substance of his plays is low,

and eminently unedifying.

In the near future, *some* universal tongue will be sought for by the educated. If Latin be still learned in England, France, Italy, Germany, Hungary, Spain, this is still, as three centuries ago, the best for all Christendom. But perhaps even Latin will be beaten out of the schools.

It may be well to remark, that inasmuch as the grave accent has been very widely used in school books as indicative of *an adverb*, I adopt the mark in this sense; and think it no objection to say that the Latins never so used it. Neither had they our stops. We do not pretend to follow their writing in detail. We usefully distinguish the vowels u i from the consonants v j; they did not. What should we gain, by writing the Iliad as its author wrote it? So too, I think it well occasionally to add long or short marks, as ēgēre ěgēre ēgēre, vēnēre vĕnĕre, lātēre lătĕre lātere, to obviate ambiguity. Nay I write fluctûs for gen. sing., fluctūs for plural, but fluctus for nomin. sing. When *et* means *both* or *even*, I set an acute accent over it, not doubting that it then received some emphasis.

I also borrow from the marks used in Hebrew an *underparenthesis* for coupling words that are in grammatical union. This mark is often very effective in explaining the structure of complicated Greek sentences.

# CAPUT PRIMUM

1. Natus sum ego Eboraci, ex bonâ familiâ, sed peregrinâ: quippe pater meus Germanus fuit e Bremâ, ubi appellabatur Kreutznaer. Ceterùm per mercaturam dives factus, Eboraci consedit, unde recepit in connubium matrem meam. Ex hujus agnatis praenomen mihi Rebilus, ex patre nomen Kreutznaer inditum est. Sed vulgus hominum, facili corruptelâ, Crusonem me Rebilium appellabat. Tertius eram filius familiae. Frater maximus, tribunus militum, cum Hispanis praelio congressus, ad Dunquercam occubuit. Frater proximus, sicut ego quoque postea, incertum quomodo, evanuit. Me quidem pater, diligenter institutum, juris legumque studiis destinabat: sed, fatali quodam motu, nihil mihi arridebat, nisi ut mari oberrarem.

2. Primâ in juventâ clam patrem évasi nauta. Cursu mox felici cum magistro navis humanissimo ad Guineam Africae navigavi. Altero in cursu a Mauris piratis captus sum, et per quatuor fere annos duram servivi servitutem. Inde miraculo audaciae elapsus, in Lusitanâ quâdam navē ad Braziliam sum devectus, ubi colono cuidam tres ampliùs annos strenuam operam navavi, praefectus servorum agrestium. Mox per hunc amicosque hujus adductus sum, ut ad Guineam navigarem, homines nigras conquisiturus, quos ipsi inter se per sua praedia servitutis causâ dividerent. Equidem magnam lucri partem eram derivaturus.

3. Sed longe aliter ordinavit Deus, ne impune caecae cupiditati

obsequer. Nempē ventis abrepta navīs Oceanum transire nequibat, sed longe ad Caurum devehitur, circa Orinoconis ostia, ut credebamus. Altera mox superveniens procella magno impetu nos in Occidentem propulit, ubi, si e mari effugeremus, per feros homines foret pereundum.

4. Gravi impendente periculo, nocte intempestâ et saeviente adhuc vento, nauta qui erat in vigiliâ “terram adesse” exclamavit; atque, antea quàm ceteri experrecti superne congregamur, navīs in arenis haeret. Stätim cum strepitu tremendo corruunt mālī eorumque armamenta. Fluctūs magnâ vi foros proluebant, neque ipsae navīs compages diu toleraturae videbantur. 5. Magister scapham demitti jubet. Demittitur: nec facilè id quidem. Res, quae maxime ad vitam sunt necessariae, raptim ingerunter; tum nos ipsi, tredecim viri, in eandem descendimus. Montosum littus inter sublustrem caliginem furvum apparebat: eò remigamus, si qua fortè in sinu terrae reducto tranquilliore mari utamur. Jam, violenter undante salo et circum nos se frangente, res non nauticae peritiae sed divinae opis videbatur: quare inter remigandum se quisque Deo Supremo, pius impiusve, commendabat, salute paene desperatâ. 6. Ventus, ad terram propellens, cursum scaphae accelerabat, terram faciebat formidolosiore; metu autem maris, spe littoris, ipsi nosmet quasi in certissimum exitium detrudebamus. Tandem, vadosiore mari, fluctūs perniciosius circumfringi et dejectari scapha. Mox, ecce crista undae ingens, quae nos persequitur; et vix Dei effamur nomen, quum cuncti sumus absorpti.

7. Quae sequebantur, longa fortasse enarratu, factu erant brevissima. Profundiùs sensi me verberere fluctûs illius deprimi, sed, animâ fortiter compressâ, ad summas aquas emersi tandem. Altero in fluctu spumante implicatus atque violenter circumtortus, immensùm anhelans eluctor; tum conversus, humeros meos succedenti oppono cristae. Ea me magnâ vi caute versus projecit, aquâ exstantem: hanc ego amplexus, adhaereo, dum decurrit unda; tunc, priusquam novus superveniat fluctus, per vada exsiliens scando, iterumque amplector caute; simul, aestu paulisper obruor. Ictus ejus me aspere quassabat, sed extemplo aëra animamque recepi, et rursus per vada supergredior. Citra saxa undas longe minus ingentes sensi, inter quas poteram natate, aegrè profectò. Mox littore ipso projectus, uncis pedibus in sabulonem lapillosque inculcatis, pronus decido, ut ne me fluctus retrahat. Uno pòst temporis momento in terrâ firmâ asto. Conversus, video praeter littus cautium seriem, inter albicantes aquas nigrarum; nihil aliud per tenebras in mari dispicio, neque scapham neque quemquam e sodalibus.

8. Tamen haud valde caliginosa erat nox. Ingentes aliquot nubes, et plurimae nubeculae, sibilante vento raptabantur: inter has clarissima lucebant sidera e nigerrimo caelo. Respiciens ad terram, collium duntaxat cerno lineamenta ac rupium. Tum vestimenta raptim detracta mñibus contorqueo, et, quoad possum, aquam marinam exprimo. Eadem rursus induor, (quid aliud facerem?) et rupem proximam per algas enisus ascendo; frustra: nam ne inde quidem in mari quidquam discerni potest.

9. Attamen arboris forma super colle exstat. Hanc sequor, et, ut potissimum in caligine, arborem illam scando et ramos amplexus interfususque me repono. Vestimentorum in loculis nihil habui, praeter cultellum, tabaci aliquantum et tubulum fumarium. Post brevem requiem assurgens, virgam grandiusculam amputo, quâ protegam me aliquatenus. Aquâ marinâ largiùs insorptâ, tamen neque sitis neque famis aderat mihi levamen. Sed, loco cibi, tabaci folium in os meum compono, implicatâque ramis virgâ, membra mea ita dispono, ut ne decĩdam, si somno capiar. Vespertiliones, et maximi illi quidem, stridoribus ac volatu, somnum aliquamdiu discutunt.

10. Item quoad concitato opus erat corpore, mens mea tranquilla fuerat ac praesens: nunc, quando quiescit corpus, maxime se mens agitare coepit. Imprimis gratias Deo optimo maximo sincerissimas profudi, admirans praesertim, si ego solus ex tanto naufragio servor. Mox id ipsum crudelissime me pungit; etenim hĩc solitarius, madidus, famelicus, paene nudus, pejùs enecor quàm in mari, nisi verò feri homines sive bestiae me devorabunt. Sane ego id temporis pius non eram, minime religiosus. Igitur tantâ in calamitate magnus me aestus animi conquassabat, inter grates querelasque, consilium ac desperationem. Tandem agitatione victus profundo somno conquievi, laboris ac moestitiae oblĩtus.

11. Mãnẽ expergiscor, multum recreatus, sed algens; nec mirum. Ceterùm ibi maris temperies humanae cutis calorem aequat: etiam nox ipsa tepet: porro arboris illius densa folia

fuerant mihi pro tegumento, ne calor in apertum aethera effugeret. Sciuri, psittaci, macaci sive cercopithecici circum garriebant continenter. Evigilans incipio descendere: ecce autem canis noster ad radices arboris meae, quasi custodiens. Id me tenero quodam ita affectit gaudio, ut lacrimae oculis oborirentur. Ergo non sum prorsus solitarius; unum saltem retineo amicum! Hunc demulceo, plaudo armos, paene amplector. Mox festinanter deambulans, navem nostram ex adverso conspicio, longiuscule ultra eas cautes, ubi ipse projectus fui. Sine dubio aestus intumescens, ex arenis levatam, huc detrusit. Jam autem paene sopito vento, inanis tantum supererat undarum jactatio. At ego in margine rupis incedens, despecto circa littus: mox, interjectis vix mille passibus, scapham nostram discerno in arenâ, subter caeruleâ quâdam rupe. Adire eam volui; sed quasi lingua quaedam maris interfusa impediabat; et quoniam fame urgebar, in navem potius, si possem, regrediendum censei.

12. Degressus rupe, redeo praeter littus: ibi pileum nauticum video, summo cum moerore. Jam aliquantum recesserat aestus, atque, ut aestimabam, vix trecenti aquarum passus a nave me distinebant. Exutis pallâ braccisque, intrepide mare ingressus sum, inter grallatorias aves, quae plurimae aquâ exsurgebant; et facile navem natando assequor. Puppis ejus valde elevata est, depressa prora; ex quâ catenae dependentes aquam tangebant. Has ego prehensas ascendo, et supervado loricam tabulatorum. O tristem ruinam, ubi mâli, vela, funes strage conturbatissimâ complicantur. Sed ego ad cellam penuariam decurro, ibique

arrepto pane nautico (qui *bis coctus* appellatur) vescor libenter. Mox, ex arcâ meâ ipsius extractas, vestes induor atque horologium meum resumo. (Profecto resurgente aestu vesperi, ille meus in littore vestitus natans asportatus est.) Simul ut aquam potulentam invenio, sinūs vestium pane complevi, ut quoties libēret, vescerer: tum meditabar, quid facerem potissimum.

13. Illud me angebat, quòd manifeste, si in nave mansissemus, omnes fuisset salvi. Super prorâ quidem saepius insultantes undae plurimas res corruperant; sed altera pars, puppim versus, alte sublata, sicca erat atque incolumis. Quippe, ut credo, quia in arenâ, non in cautibus haeserat, carinae soliditas perduravit. Quàm plurimas res jam cupiebam asportare; sed id erat difficile. Scapha major, ut dixi, in littore projecta erat longe. Illa quindecim viros facilè portabat, et in magnis Africae fluviis ad invehendos venales magno usui erat futura. Alteram comportaveramus longe minorem, cymbam potiùs quam scapham dixerim; quae duos homines cum remige posset ad scapham devehere, si quâ juxta ripas aquae forent breviores. Haec in nave remansit: demittere eam in mare erat in facili; sed parum capiebat, nec videbatur nimio sub onere aestum littoris toleratura. Postquam arcas ac dolia multo cum suspiratu aliquamdiu aspexi, contemplos m̄alos, ac ratem componendam decerno.

14. Subito exsultans, ex fabri nostri repositoio serrâ dereptâ, malos disseco, ut trabes longitudine fere pares efficiam. Has in mare provolvo, funibus quibusdam m̄alorum supra inhibitas.

Ligna grandiora cujuscunque generis colligo, ingero, omnia funiculis deligata. Postea ipse seminudus, cum malleo et confibularum sacco circum collum suspenso, degressus equito super trabe. Undatio maris jam deminuta est: raptim ego ligna atque trabes, velis funibusque confusas, conjungo, destino, depango; vi meâ maximâ, quantumvis rudi, ratis fundamenta jaciens. Redeo supra; video quanta sint portanda onera, ratemque nondum sufficere. Tum alia ligna plurima et tabulas ex omni parte navis conquirō. Has dissecare ex suo loco, nimii laboris erat atque temporis. Sed septa animadverto lignea, quae ad dividenda nigritarum cubilia comparaveram. Utrumque binis hamis e tergo, binis spicatis clavis e fundo, erat instructum; annulis lateri navis infixis, per quos hami inseri debebant. Haec septa plurimam atque optimam mihi sufficiebant materiem. Quibus rebus superadditis, molem ratis et soliditatem multum adaugeo; tum funibus astringo cuncta. Longum id erat et sane difficile: necnon sol me admonebat horarum: horologium substiterat. Denique postquam, graviter insultans rati, firmitati ejus confido, maximo cum dolore sentio, vix minimam partem eorum, quae vellem, posse me asportare; jam autem deligendum esse. 15. Ab operâ paulisper requiesco; vini ardentis saccharini haurio pocillum, meditorque moestissime. Ea quae ad vitam maxime sunt necessaria, decerno sumere imprimis; tum, arma ad vitam defendendam. Quatuor nautarum arcas commode vehi posse super rati meâ credebam. Totidem exinanio, et, per tollenonem<sup>1</sup>

---

<sup>1</sup> A crane, – with windlass.

suculis instructum, demitto in ratem: hanc mox scalas versùs traho. Sacculos impleo plures bis cocto pane, oryzâ, fabis, miliariâ atque hordeaceâ farinâ; et facilè in arcas dejicio. Fabis atque milio praesertim eramus nigritas cibaturi, et sane multum hujus cibi portabamus, sed infra in alveo. Jam tres caseos Batavicos arripio, caprinae carnis siccatae massas quinque, (quâ carne vel maxime vescebamur,) et frumenti Europaei reliquias quasdam, quod ad gallinas alendas convexeramus. Gallinae vi procellarum perierant omnes. Ceterùm triticum fuit id, cum hordeo: postea inveni corruptum esse per sorices.

16. Dein latice ardenti anquisito, vini palmaris congios fere sex, cum plurimis delicatiorum potuum lagenis, seorsim conclusi. Hae lagenae partim magistri fuerant, partim meae ipsius. Lacernam meam et lecti opertorium corripio, porro serram, securim, malleum clavosque: sed haec in cymbâ destino portanda. Plures fuisse in nave nitrati pulveris cados majores sciebam; sed ubinam artillator noster eos habuisset conditos, eram nescius. Tandem multum anquisitos duo invēni siccos sanosque, tertium aquâ marinâ corruptum. Cistas tres, hōc pulvere completas, curatissime intra arcam super rati ita concludo, ut, si fluctus alluat, minimo sit detrimento. Jam de igne fovendo subit cura. Coqui nostri recenseo supellectilem. Inde deripio foculum cum forcipe, batillo et rutabulo, cratibulam ferream, ahenum, ollamque coculam. Satis oneris jam videbar imposuisse. 17. Cymbam protinus per easdem suculas mari committo; id quod difficillimum fuisset, nisi requiescent undae.

Huc impono ignipultam aucupariam optimam, par pistolarum cum balteo, mulctram stanneam, igniaria, sīnum ligneum, poculum ex albo plumbo, item corneum; cum vestibus ac fabrili supellectile, quam nominavi. Adde pilularum plumbearum sacculum ac gladios duo. Unus horum falcatus erat Maurusii mei domini gladius. Solem video declinare; itaque propere funem tractorium rati adjungo, funiculos plures in cymbam projicio, jamque descendo cum remis, ratem ad littus tracturus.

18. Tria me confirmabant, – mare tranquillum; aestus placide allabens; aurae quoque, quantum erat, terram versùs spirans. Parvam ancoram in cymbâ portabam. Jam remigo, atque contus animum subit. Redeo, efferro contum: demum littus peto, sed directam viam cautes prohibebant. Aves multae in ratem consederunt, ut piscarentur commode. Has aegre abigo. Mox sensi me praetervehi, ipso mari clam trahente: inde sperabam posse me in fluvii alicujus ostium deportari, ubi bona mea tutiùs exponerem. Id quod evenit: nam rupes mox subeo, ubi in convallem sinus maris intrat. 19. Sed dum remis, quantum possum, medium in flumen cymbam dirigo, paene altero naufragio conflictor, rate vādo illisâ. Declivi protinus rati delabebantur ejus onera, nisi propere succurrissem. Circumactâ cymbâ, ligna aliquot de rate in interstitia ejusdem intrudo, quasi paxillis enormibus sustinens arcas. Hîc alligatus necessario commoror, anxius sane animi, donec aestus insurgens ratem allevavit. Tum in parvum quendam sīnum devertō, juxta planitiem, cui mare debebat superfundī. Eò mox delatus

metuebam ancoram dejicere, ne tanta mōles funem abrumperet, nisi aquas stagnare intelligerem. Tandem recedens aestus in terrâ firmâ relinquit et cymbam et ratem.

20. Onera mea exponere inutile erat, nocte appropinquante. In arbore aliquâ iterum dormire decrevi; itaque suffertâ ignipultâ armatus, item gladio serrâque, per ulvas uberrimas procedo, anquisiturus idoneum cubile. Nemus haud longe video. Ibi delectâ majore quâdam arbore, curvis transversisque ramis, gradūs pro scalis in cortice serrâ incīdo; tum scandens cum serrâ amputo ramorum quidquid sit obfuturum, et cubandi facio periculum. Macacos video plures in arboribus, sed parvos mitesque.

21. Redeunti cānis occurrit, lepusculum ore ferens, quem ante pedes meos projecit. Intellexi eum magnam partem devorasse; etenim plenus saturque apparebat. Sane ego donum ejus non contemsi, quamvis laniatum. Accepi; sed subit cura, ne sōlo meo amico priver, nisi sedulò pascam. Magno erat corpore, multoque egebat cibatu; de quo incepti meditari. – Dulcem aquam juxtâ conspicio, in flumen marinum decurrentem. Mox frondibus foliisque siccis igne facto, lepusculi reliquias super vivis prunis ope gladii ac serrae torreo, gustatuque ejus quàm maxime fruor. Primam illam in insulâ solitariâ coenam cum voluptate tristitiâque mirē commistâ memini. Jamque caligabat. Ego autem tabulam quandam reportatam clavis destinavi ad ramos arboris meae, ibique lacernâ obvolutus somno me dabam. Ignipultam inter ramos apposueram: cānis jacebat subtus. Pistolis quōque

succingor, ne simia aliquã major me incessat.

22. Et profundē equidem dormivi, defessus laboribus; tamen ante lucem sum experrectus: (etenim illâ in regione aestatis ipsius nox proximē ante diluculum tenebras obtendit:) atque ego meditans consilia mea compono. Ut primum dilucescit, descendo. Ligna aliquot exacuo securi; tum pro sublicis in arenam ita adigo, ut ratem, quamvis crescentibus aquis, inhibeant. Nitrati pulveris cistas lacernâ protego, si fortè pluat. Serram, – malleum, – clavos, – tabulas duas, robustam tenuemque, – argillam mollem, cum vetere fune pro stuppâ, – in cymbam colloco. Aquam multrâ haustam sumo mecum, item poculum ac panem. Lepusculi, quod restat, cum cãne divido, ipsoque in cymbam adsumto flumen ingredior, scapham nostram invisurus.

23. Pleno maris aestu, tardiùs descendo flumen; mox intra cautes littus lego, ne quid undarum me incommodet. Magis magisque admiror avium abundantiam, quã marinarum, quã silvestrium. Inter cautes ac littus grallatoriae abundabant. Ad scapham tandem pertingo; perfractam invenio, velut animo praeceperam; credideram posse me detrimenta ejus resarcire. Sed viginti passūs a mari jacebat, procellâ aestuque illius noctis longe evecta; neque summâ meâ vi potuit moveri. Porro, remos idoneos neque habebam, neque, si haberem, adhibere possem, onustâ certe scaphâ. Aeger animi hanc relinquo, remigoque navem versus. Cogitans autem statuo mälum velumque scaphae anquirere, si fortè postea horum usus venerit.

24. Ad scalas navīs accedo. Has natans non potueram manu attingere: etenim puppis nimiūm erat elata. Sed astans in cymbâ, facilè eas apprehendo. Câne primum superposito, alligatâque cymbâ, ipse ascendi; mox desideo inops consilii. Ollam offendo fructuum condītorum: cum pane vescor, dum cogito. Video alteram ratem non posse me construere; spatium diei non sufficere, si trabes ipsâ ex nave sint dissecandae; loricam tabulatorum discindere, laboriosum fore, nec valde utile.

25. Maurorum memineram rates utribus suffultas. Utres non habebam. Arcas aquae impenetrabiles volebam pro utribus adhibere; sciebam autem nostras solido esse robore et astrictâ fabricâ. Unaquaeque harum ligneo pessulo rudique sērâ obdebatur; cuncta compari erant modulo. Die superiore, dissecto serrâ pessulo, facilè aperueram quatuor illas; ĩdem nunc facio in caeteris, atque exinanitarum exploro commissuras. Arctissimae videbantur; id gaudeo: sed funibus properē in mare demisi quatuor harum, ut commissurae aquâ intumescerent; meam ipsius, quae optime fabrefacta est, pice ac stuppâ circa operculum incepti oblinere, periculum faciens, num aquam excludere possem. Postquam operui, cuneos tenues ligneos juxta pessulum inferciebam, quo astrictissimē concluderem. Hanc in mare demisi, fundo sursum sustentata; atque ibi religatam reliqui, ut operam meam aqua exploraret.

26. Jam video diem procedere, metusque subitò me incessit, ne quis thesauros meos e rate compilaret, neve bestia corrumperet cibum. Insula foret an continens terra,

culta an inculta, ferocibus bestiis infesta necne, – nondum sciebam. Ratīs autem dilectissima oculis sōlique exposita manet, dum ego novas hīc res conquiro! Credebam non posse me illo ipso die novae ratīs onus asportare; satius esse, redire quàm citissimē. Illud succurrit: “Herī, quae ad vitam maxime erant necessaria, avexi; hodie, quae pondere lēvissima sunt, nundinatione pretiosissima, aveham in cymbâ; ut *si fortè* navis aliquā me servabit, ne prorsus sim pecuniae inops.” Duo gladios pulcros e caeruleo chalybe invenio; hos avidè sumo. In secreto magistri scrinio aureos nummos Hispanorum (doblounos vocant) certò sciebam contineri; quos ille comportabat, ne, ventorum vi aliquò devectus, pecuniâ ad reficiendam navem ěgēret. Dolabrâ protinus fores scrinii perfringo: invenio autem non auri solum crūmēnas, sed instrumentum astrologicum, pretiosum illud quidem, ac duo optima horologia; item furcillam mensalem et cochlear, utrumque ex argento; mox duas acūs magneticas, utramque suâ in capsula: tertiam videram ipsum juxta gubernaculum, propter usum gubernandi. In mensulâ offendo supellectilem geographicam ac scriptoriam, cum libris quatuor. Cuncta arripio, et quasi votum Deo concipio, nunquam, quantum in me est, cognatos magistri optimi quidquam latus damni, *si fortè* in hominum gregem restituar.

27. Dum meos ipsius perscrutor loculos, unde argentum, arculas optimas clavesque avebam, illud “*si fortè*” animum auresque meas pertentat. Immo totum hunc diem quasi rhythmus quidam “*si fortè*” tinnit in auribus, dum remigo, dum incedo.

Jam res pretiosissimas in arculis concluderam, quum scaphae memini armamenta. Haec facilè reperio. Mālum ejus ad terram attrahendum decerno, pone cymbam alligatum. Quamvis properans, temperare mihi nequivi, quin lardi asportarem succidiam, cum bulborum majorum marsupio ac capide duobusque cultris. Dein, quidquid videbam corbium, fisorum, riscorum, quod natate poterat, restibus constringo, et pone traho, in cymbâ portans me ipsum ac canem cum novis thesauris. Ecce autem, dum in eo sum, ut navem relinquam, duae feles cymbae insiliunt, quas quidem neque ego neque cānis aspernatur.

28. In remigando, vereor ne agmen meum, pone tractum, vādo fluminis illidatur; in littus potiùs projicere volo. Dein locum puto exquirendum, ubi ratīs mea postero die tutissime appellat: nam si arcae in fundo ratīs aliquò affligerentur, maximum fore periculum ne cunctae res disperirent. Dixi linguâ quādam maris primo illo mănē me a scaphâ interseptum. Hanc video ad dextram cautium, eòque dirigo cursum. Corbes, mālum scaphae, caetera, facilè in littus sursum traho; dein sīnum illum maris propero intrare.

29. Circa quingentos passūs penetrabat terram, rupe praecipiti undique circumclusus. Ostium angustius erat, quia aspera saxa utrinque exsurgebant postium instar. Littus intimum e mollissimâ ac planissimâ erat arenâ; id quod facilè perspexi, quia nondum altius pertinuerat aestus. Ultra arenam video algas cactosque. Huc certum est ratem illam cras deducere. Quae quum summâ celeritate lustrassem, contentis brachiis domum

remigo: nempe *domum ire*, erat, *ad opes meas*. Intra cautes mare inveni tunc quidem sanè tranquillum.

30. Ad coquendum protinus accingor, praesertim (si credere possis) propter canem; immo, propter feles item; namque ad quidvis, quod posset me amarè, mire allectabar. Quatuor intra lapides ignem accendo. Tres stipites, infrà arenae infixos, suprà fune colligo; inde suâ catenâ suspendo ahenum coculum. Aquam in capĭde apportatam infundo; addo fabas, farinam hordeaceam, lardi segmen cum bulbo. Materiâ igni largiùs injectâ, ignipultam arripio paroque collem ascendere qui haud longe aberat. Cănem mecum adsumo, feles credo propter fervorem ignis nihil nocituras cibo. 31. Mille quingentos passūs ad summum aestimabam iter illud; sed quia propter rivulum quendam atque uvidum solum circuivi, longius erat aliquanto. Demum enisus per praecipitia, mare undique circumfusum conspicio, aliam nullâ ex regione terram, praeter scopulos aliquot duasque pusillas insulas novem fere millia occidentem versus. Unus in postico mons mare exsuperabat; sed tamen eram in insulâ. Hoc me magnopere angebat.

32. Magnâ ex parte sterilior videbatur insula, saxosis collibus abundans, non sine arboribus; quae quidem in cavis locis densabantur. Nisi numerarem felem quandam feram, carnivoras non offenderam bestias; sed praeter macacos ac sciuros in convalle, lepores et exiguos porcillos videram; aves autem notas ignotasque ubique quàm plurimas. Alitem majorem, arbori insidentem, glandibus olorinis transverbero rediens.

Pluma ejus rostrumque accipitris erat, ungues modicae, caro piscibus foetida. Tum vero memet increpabam quòd jaculandi suppetias perderem. Alites autem rapaces, quanquam plurimos, non magnos illos videram. Porrò feras hujus insulae coram homine plerasque intrepidat esse repperi. A collis jugo ingentes prospicio arbores, quas aestus in flumine resurgens debeat alluere. Hae supra ratem erant, neque procul ab arbore in quâ proximâ nocte dormiveram. Subter has statuo ratem attrahere, succedente aestu. Sed propere reversus, ignem exstinctum invenio, cibum non male coctum. Feles, valde famelicae, magnâ voce querebantur. Has et canem largiter pasco; et mecum statuo, plures etiam me fabas, si possim, navě extracturum.

33. At ferae visio felis me commoverat aliquantum. Verebar ne majores ejusmodi bestiae hîc degerent, ut pardus, ut panthera, quae arbores facilè escendunt. Circumvallare me certus sum. Utensilibus arreptis fabrilibus cum materiâ ac fune, peto arborem meam; ubi, incisuris securi impressis, pālos infigo, breves tabulas suprâ destino, tum quator desuper palis contra ictus infernos corroboro. Quippe intellexi felem quamcunque ab ipsâ stirpe arboris tanquam incurrere sursum; et si quid praeruptē emineat, arceri. Restim autem quasi in annulos duos sive amenta complico, quem ramis alligatum, ipse possimprehendere ascendens. Tali tum podio arborem, ut poteram, praetexui: postea confirmavi, pleniore adjutus supellectile. 34. Jam video noctem aestumque appropere. Sublicis evulsis, pone cymbam traho ratem, apponoque sub arbore ingenti incolumem;

ubi latēre posse credens, sublicis iterum depango. Deoneratā cymbā, compono res omnes accurate. Tum, crastinis consiliis aestuans, tamen somno celeriter corripior, alatis blattis atque vespertilionibus contentis.

35. Evigilo ante diluculum. Depropero ad cymbam detrudoque in fluvium; cānis quasi suo jure insilit. Subter stellis remigo, adverso aestu. In navem invado, etiam ante solem ortum; sed dilucescebat. Inspicio arcam meam; optime aquam excluserat. Caeteras item e mari subtractas stuppā ac pice pariter ac meam ipsius concludo. Omnia funibus contentissimis astringo. Mox quattuor sufficere videntur; immo sic tutius fore ad primum experimentum. His in mare delatis, et firmissimē constrictis superpono dolium pulveris nitrati, alterum panis, mox totum fabri repositorium. Adjungo seriam olei, ollam picis, arma missilia aliquot, alias res minores. Vela quotquot inveni, quae supervacanea portabamus, cum scaphae velo, collocavi supra; superque his rursus carbasum quendam pice liquidā oblītum. Tantum onus facillime videbantur arcae tolerare.

36. Postquam restibus omnia consolidavi, paulò ante meridiem, strenuo nisu ratem ad littus traho, paene infimo in aestūs recessu. Sed inter postēs saxeos in sīnum illum procedo, neque in flumen adversum volō me committere. Mare intrā mox quietissimum inveno, et quasi in stagno religo ratem. Maximē gavisus, projicio me sub rupe et paulisper sub umbrā requiesco: dein cibo recreatus, ad operam redeo. 37. Quidquid erat in rate, in algosum siccae arenae acervum expono; sed laboriosē,

propter humiles aquas. Video mare adhuc tranquillum; cras posse co-oriri procellas. Spes et cupiditas, quamvis lasso, dedit vires. Cum carbaso illo (si fortè sit usui) atque cunctis funibus retraho ratem ad navem. Quintam illam properè adjungo arcam, et aliquot res ponderosas impono; inter quas hîc nominare libet mōlam ferramentis acuendis, glandium majorum cadulos duo: in cymbâ autem meas vestes, et pulveris nitrati aliquantum. Cuncta deporto intra postes marinos incolumbia paulò ante tenebras. Valdē defessus inde redibam: sed aestus cymbam subvexit sine meâ vi. Vix poteram coenare; igitur pasto cãne felibusque, somno me commisi.

## CAPUT (II.) SECUNDUM

38. TRIUM dierum res gestas narraui singillatim. Imo in corde meo inscriptae sunt, quasi hesternae essent. In iis quae sequuntur, saepius accidet, ut rem probē nōverim, diem meminerim parūm; nec lectori jucundum foret, ut res, si possem, diarii more enarrarem. Dehinc, quae ex nave insuper avexi, summatim potiūs memorabo. 39. Quarto māne dormivi post lucem. Jejunus, vescor avidē: etenim in ahenō cibus aliquot dierum mihi meisque restabat. Sed quasi nervis succisis, languebat animus fastidiebatque suos successūs. “Cur laboro?” inqueiebam “cur-ve juvat me vivere, solitarium, moribundum? Quid prosunt navīs spolia, nīsi ut aliquot dies vitam extraham?” Tum addidi clarā voce: *Nīsī fortè! Nīsī fortè!* Mox intelligo ventum a mari flare, aestum violentiūs insurgere, in ostio periculosum forsitan cymbae fore. Cymbulam autem illam majoris quàm cuncta quae in nave restabant aestimabam. 40. Tum si ad navem ratem e portu meo traxissem – etenim illum maris sīnum postibus munitum jam Portum Meum appellabam – quis sponderet, quin naufragium ipso in flumine patērer rediens? Nubes porrò volitare animadverti; imber ne caderet, meliūs tegi, quae exposita reliqueram in portu. Etenim cava plura illā in rupe cognoveram. Illūc igitur pedibus confestim ire decerno. 41. Rupes ad laevam primò rubra erat, nīsi ubi algā obtegeretur; ipso in portu alba; ulterius praeceps ac caerula: omnis autem

e saxo (ut credidi) calcario. Portus cavis locis, immò cavernis abundabat, quarum in aliquam possem sine magno labore eas res recondere, quas pluvia corrumperet potissimùm. Per algas cactosque enisus, hùc reposui lectum vestesque omnes, item panem, ignipultas ac nitratum pulverem, carbaso illo piceato contacta. Res fabriles et cetera graviora vĕlis obtexi.

42. Jam corporis illuvies me vexat; nam per tres laboriosissimos dies ac duas noctes iisdem in vestimentis illotus manseram. Discingor nataturus. Pleno ferè aestu quasi lacus maris clarissimus coràm redundabat. Cadebat pluvia tenuis, sed inter nubes radiabat jubar; mox apparebat arcus coelestis. Mirē ille visus stringit mulcetque animum meum. 43. Atqui cānis in aquam me insequitur et mecum vult ludere. Nostratium cānum ille fortasse Graio Hibernorum cāni simillimus erat, Molosso domestico gracilior et velocior, glabro item corpore, ut caloribus nāto. Probē nātabat, sed digitatus erat, non *palmipes* (quod appellant); id est, digitis non erat pellitis; atque ego velocitate natandi facile eum superabam. Itaque hunc dum eludo, me recreo. Ut ex aquâ egressus sum, is crura pedesque meos tam amanter lambit, atque tam gestit me recuperâsse, ut nequiverim me continere. In effusum fletum solvor, velut olim in pueritiâ, sentioque cor exonerari. Vestes mutavi: immundas in aquâ marinâ sub majoribus lapillis demergo: tum egredior, insulam exploraturus. 44. Scando e portu per ardua. Inde video illum collem, quò anteà enīsus sum, hōc a lătĕre ascensu facillimum. Culmen rupium planities erat sive campus calcarius, delicatis

vestitus herbis. Hae recenti pluviâ ita erant recreatae, ut nova veteribus admista folia florum praetulerint speciem, ubi rubor vel purpura cum novo virore contendebant. Lepores sive cuniculi suis e latibulis egredientes audentiùs me aspexere, quos ne insequeretur, aegrè repressi canem.

45. Mox in scopulosa loco evado, et capros discerno feros procul; *antilopas* potiùs dixerim. Pone saxa inserpo, quanquam minimè fugaces erant. Glandibus olorinis tubum suffercio; dein igne emisso occīdo capram vulneroque haedum juxtà. Cănis intercurrens haedum prehensâ pelle attinet, dum assequor. Crure vulneratam posteriore invenio; poterat tamen incedere. Matrem volui reportare ad flumen vallemque meam; sed fateor, adhuc eram tam delicatus, ut noluerim recentem vestitum sanguine commaculare. Sudariò e sinu vestis extracto, argillâque udâ in vulnus compressâ, constrinxi firmiter; tum gramine sanguinem omnem abstersi. 46. Volui eam in cervicibus portare; sed quando conor, id verò meas vires exsuperat. Super glareosam humum aegerrimè cornibus eam traho, in gramine faciliùs. Haedi cornibus funiculo circumdato, hanc duco mecum simul; id quod, dum ignipultam porto, paene nimium erat; igitur saepius consedi. Via autem et declivis erat, nec longa, circa alterum jūgi lätus; itaque tandem pervēni. 47. Protinus in udo linteo crus haedi astringo; et, ne longus sim, tantâ curâ foveo pascoque (nam grandiuscula erat) ut mansuetissima evaserit. In arenâ, juxta ratem primam, sub densis umbris, pelvem excavo; in quam, aquâ semisalsâ repletam, recondo capram, ut otiosiùs carni

coquendae dem operam. Canem appropinquare vetui; pasco autem liberaliter et hunc et feles: aves tamen metuo, ne carnis sint cupidae.

48. Dum strenuē me exercebam, vix sentiebam miserias meas: sed simul ac lassitudo abrumperet operam, nisi somno corriperer, mens coepit agitari: id quod saepius mihi evēnit. Meas egomet cogitationes nequibam tolerare, et variis quasi ventis hūc illūc ferebar. In desperatissimâ conditione me videbam, extra navium Europaearum cursum. Fracto animo, lugens, interdum lacrimans, diffisus Deo, decreta ejus conquerens; rursus ipse memet objurgabam, solabar, hortabar, confirmabam, maximē gavisus quòd tot res e navē congesissem. 49. Itaque per id tempus, quoniam apud neminem potui vicem miserari meam, aperui capsam scriptoriam, ex quâ chartam, calamos, atramentum, protuli, incipioque angores meos argumentando effundere, quasi per sermonem. Mox talem altercationem in tabulas (ut ita dicam) *accepti impensique* refero, quas lectoris oculis nunc subjicere libet.

Mala Mea.	Levamenta Malorum.
1. In insulâ solitariâ sum projectus.	1. At non es demersus, sicut ceteri.
2. Ego unus e sodalibus enecor aegrimoniâ.	2. At tibi uni restat spes aliqua effugii.
3. Exsulo e societate hominum.	3. At non servis hominibus scelestis.
4. Vi bestiarum sum planē obnoxius.	4. At non in beluosam Africam projectus.
5. Laboriosissimē victum quotidianum quaero.	5. At magnam tu habes ex navē opem.
6. Servio hic servitute perpetuam.	6. At alios tu in servitute non redigis.
7. Nisi prius solitariē moriar, ad solitariam senectutem reservor.	7. At non tua magis quàm parentum senectus erit solitaria.

50. Profectò ultima illa nimis me pupugēre. Quae pro levamentis scripsi, vulnus animi recrudescere fecerunt. “Peccavi,” inquam: “meritam poenam tolerabo viriliter: *fortasse* ipsa poena aliquid tandem boni afferet.” Tum citò sedata est omnis mea perturbatio. Ego autem haec atque talia reputans, admiror, quanta sit vis vel incertae obscuraeque religionis, si modò rectâ intendatur viâ. Illud *fortasse* et *si fortè* pluris est, quàm quis putaverit; quia saepius indicium est animi per tenebras, lucem versùs, enītentis. Id autem ipsum est virtus: nam sapientissimus quisque nostrûm in suâ tamen versatur caligine, semperque eluctatur pleniorē versùs lucem. Itaque iterûm evasi strenuus. 51. Tum cãni felibusque haedum conciliare studeo. Omnes paxillis depango vicinis; unicuique suum largior cibatum; unumquemque suâ vice demulceo. Ex consuetudine spero familiaritatem, ex meâ caritate caritatem mutuam. Postea ad portum cãne comitante reversus, alias exploro cavernas, pluresque res meliùs ordino. 52. Tredecim dies in terrâ degebam, necdum navis evanuerat. Illam undecies (credo) ascendi. Quantumvis co-acervaveram, plus tamen concupiscebam; et dum navis consistebat, inter eam portumque meum acerrimum sustento ratīs commercium. Res aliquot, quas avexi, libet hic memorare: Incudem artillatoris, quam aegerrimē amolitus sum; virgas vectesque ferreos; pensilem lectum cum lodicibus; suppãrum antīcum e subsidiariis: lacernas plures: piscatoriam supellectilem novam atque amplam. Porro e re

jaculatoriâ magnos forcipes follesque, malleum robustissimum, pelves ferreas ad plumbum liquefaciendum, batillum grande. Tum omnes ignipultas, bonas malas, asporto; item alterum par pistolarum. Demùm fabrilem mensam, retinaculo cocleato instructam, multo cum labore per tollenonem demitto, laetusque comperio hanc per se natare. Inter minores res memoro libram cum lancibus aheneis, sive trutinam oportet appellare, quam in scrinio magistri offendi. Ille propter medicas, credo, usûs habebat; nam magister nautis pro medico erat. Ego hanc, velut pecunias, idcirco asservavi, siquando pro nummis valeret. Ingentem plumbi convoluti laminam, quae nimia posset esse, securi malleoque discissam particulatim asportavi; etiam magnum pilularum plumbearum vim, plures rudentes, funes, ferreos hamos, clavos, pessulos, confibulas, annulos. Cannonas suâ ex sede non eram deturbaturus. Postea magnum tritici dolium laetus invenio, seriam optimi adōris, sacchari cadum majorem, vini ardentis amphoras tres; porro cultros furcillasque mensales, grandem forficem, tres novaculas, quatuor nautarum gladios sive sicas.

53. Ne fortè mirètur lector, quare tantam bellici terroris vim in mercatoriâ nave vexerîmus, naturam illius commercii curatiùs demonstrabo. Homines barbaros e Guineâ eramus in servitutem reportaturi; quem ad usum ét ipsa navis et omnis ejus dispositio ceteris erat valdè diversa. Grandiuscula erat navis, navales socii sexdecim. Cannonas habebat quinque, – unam a tergo, – ne forte aut cum praedonibus aut cum nigritis foret confligendum;

neve, propter subitum aliquod in Europâ bellum, Lusitaniâ implicatâ, nos tanquam Lusitani lacesseremur. Ignipultae quoque inerant plures, pars venando, alia pars pugnae apta. Simul pulveris nitrati plumbique rotundati vim magnam vehebamus, atque adeo hominem unum toti rei jaculatoriae praefectum. Artillator appellabatur. Harum rerum impensâ valdē minuitur negociatoribus lucrum, nisi quòd hōc in commercio merx quae exportatur vilissima est; quae reportatur, pretiosissima.

54. Aliquot fabas primâ in rate asportavi. Quanquam sciebam magnam hujus cibi vim navi fuisse impositam, sed infra in alveo, credidi marinâ aquâ corruptam esse. Nihilominus descendo. Puppim versus omnia sicca erant; in inferiore parte aqua stagnabat. Sed non me illud repellit. Infrâ nudus, per aquam incedo, quae genu attingebat, scrutorque merces palpando: tandem saccos invenio fabis plenos. Unum horum placebat avehere, sed quando conor, nequeo ad tabulata extollere. Re deliberatâ, non operae pretium videtur de cibo madido laborem pendere; nam asservari posse quis sponderit? 55. Mox res duras acutasque sub pedibus sentio; ipsa erant ferramenta, quae inter merces nostras imperaveram. Palae, planē nostratium instar, profectò non inerant; tantùm ligones, furcillataeque marrae, praeter sarcula ac dolabras. Deinde in sēcures incīdo. Tales res sub aquâ dijudicare, paulùm difficile erat. Num operae esset pretium auferre, – dubitabam. Tandem aliquot cujusque generis assumo, praesertim capita securium ac ligonum. 56. Postea felicior eram. Nam in conclavi quōdam, quod coqui

nostrum erat proprium, quinque offendi corbes, fabarum plenas, apprimē siccarum. Has curatiùs repono avehendas, et aliam post aliam cunctas demùm ad terram deporto salvas. 57. Porro dum mensam fabrilem amovebam, quae suprâ erat, non in alveo, pone in angulo fascis quosdam mercium retexi. Hos aperio. Intus erant versicolores vestes, quas propter Afrorum commercium imperaveram. Avidē corripio, sed nesciebam quare. Postea numeravi, invēnīque sexaginta. Ceterae, ut opinor, fuerant in alveo.

58. Duodecimo mâne, ut remigo ex portu ratem pone trahens, fluctus asperior aliquantum aquae in cymbam immisit. Exhaustire simul atque remigare non poteram: si remos inhiberem, verebar ne deflexa cursu cymba lätus undis objiceret. In portum, ut tutius, stätim redeo: ibi roborandam suscipio cymbam. Altiozem facio proram, additis tabulis, quae, ferreis virgis firmatae, aliquantum asperginis possint rejicere. Non longi laboris erat illud; sed nimius ventus me terrebat, igitur reliquum diem scaphae addixi. 59. Illud consideraveram. Naufragium recente lunâ passi eramus ipsis in Kalendis Septembribus. Ad plenilunium iterùm intumescente Oceano posse credebam sublevari scapham; grande momentum, servaretur-ne an prorsùs confringeretur. Ex arcis meis unam deligo, aquae (siqua alia) impenetrabilem. Quidquid in scaphâ infirmum videtur, summâ meâ arte reficio, seu stuppâ ac pice, seu argillâ vitreariâ opus sit. Simul ac aestus recesserat, ancoram quàm longissimē per arenas mare versùs traho, suo ancorali arctiùs scaphae colligatam. Dentem

ancorae firmiter defigo, quoad possum. Ipso in ancorali, circa septem pedes ab ancora, funem brevem nodo astrictissimo implico; mox hùc deportatam arcam eodem fune connecto. 60. Illud evenit, quod speraveram. Arca, aestu insurgente sublevata, simul ut ad scapham aqua pertingebat, (nam ego cum spe metuque cuncta notabam) incepit scapham attrahere. Tum pro cupâ<sup>2</sup> natante arca mihi erat. Confestim decurro ad cymbam. Per aestum remigo, ubi propter altitudinem aquae fluctûs non se frangebatur; et ut primùm scapham assequor, eam remulco inhibens, solvo ancorale; nam ancoram extrahere, nimii id fuisset temporis. Mox, ovans et praegestiens, scapham in portum deduco incolumem. Haec in duodecimo erant die. 61. Māne insequente, quum speculor, sentio mari malè credi: tamen quasdam etiam res volui eripere, quanquam rati non confidebam. Scalas navis ac tollenonem ad ultimum reliqueram. Optimas habebat fores diaeta<sup>3</sup> principalis: has concupivi, quia bonâ erant fabricâ. Cardines facile avello: fores recte firmiter colligo. Dein suculas<sup>4</sup> cum trochleis<sup>5</sup> assumsi; ipsius porro tollenonis ferramenta omnia: sed scapum rostrumque ejus, quae lignea erant, trahenda per aquas destinavi, cum scalis et foribus. Ferreum onus, uno homine non gravius, in cymbâ decerno asportare.

---

<sup>2</sup> A buoy.

<sup>3</sup> The cabin.

<sup>4</sup> Windlass.

<sup>5</sup> Pulleys.

62. Impigrē redii, sed aestus in horas magis tumescebat. Tunc quum maximē intrabam portûs ostium, agmen ponè tractum adeo disjectabat cymbam, ut ego perterritus funes necessario absolverim, ne demergerer. Incolumis egomet postes illos praetereo, laetus quòd nil mihi cymbaeque accidisset, praeter asperginem profusam. 63. Ventus etiam atque etiam incrudescerebat: post tres horas violenta flabat procella, quae totam per noctem furebat. Māne, ut prospexi, evanuerat navīs.

## CAPUT (III.) TERTIUM

64. Equidem ut vacuum aspectabam mare, neque lacrimatus sum neque gemui, ne agitabar quidem animo. Sed tenerum quendam sentiebam affectum, tanquam si fessâ aetate parens, cujus magnis fruimur beneficiis, legitimē ac necessariò decessisset. Immo non tam navīs quàm egomet videbar obiisse mortem. Ab hominibus abscindor, novo sum in orbe rerum, asto tanquam in aeternitatis solitudine. Ignotus me circumambit Deus, cujus sentio tum misericordiam tum severitatem, me ipsum culpans sed non amarē, nec sine modo. Non in genua procumbo; non preces, non vota concipio; grates non effundo, nec poenitentiam; tamen caeca quaedam, ut opinor, me penetrabat veneratio. Certē eram et tranquillissimus, et quasi religiosē defixus. 65. Ex hōc statu me expergefacit cānis, amanter blandiens. “Ah! quàm vellem posses colloqui,” inquam clarē; et amore erga canem haedicularumque meam atque ipsas feles valdē pertentor. Propè poenitet me, quòd capram matrem occīdi. Quoniam bruta animalia, si modò reciprocare amorem possint, communem habent nobis socialemque naturam, nolo vitam eripere temerē. Haec cogitans, insuper memini, parcere nitrato pulveri quàm sit bonum, pondus caprae quàm fuerit molestum. Paulò pòst quaerebam, cur, si victum terra subjicit, malim ferarum more raptas vitas praedari. Illa sanē quaestio profundius in pectus descendit, postquam ubertatem insulae

pleniùs compertam habui. 66. Sed exsulto, et pastis animalibus, de fabis meis satago, quarum aliquas aquâ coctas velim, pro cãnis cibatu. Postea has coquebam cum carnis frustis, cum sebo, lardo, demùm piscibus vel oleo; faciebamque massas quadratas: tum si aliunde nihil foret in promptu, hinc et canem et feles pascebam. Semper denique hõc modo pauxillulum carnis aut piscium pro condimento adjugebam fabis, farinae vel radicibus.

67. Postero die, coelo sereno et mari tranquillo, ligna tollenonis et diaetae fores ejecta sunt in littore; cum minore detrimento quàm quis exspectaverit. Has res, ut primùm possum, citra vim undarum traho; denique in cavernas illas, de quibus dixi, depono, et quando ab aliis operibus vaco, restituo tollenonis ferramenta. Postea hunc ad navale meum constitui, propter usũ scaphae. 68. Sed de domicilio meo multa erant decernenda. Cavernas in rupe quõ latius exploraveram, magis admiror. Ultra numerum videbantur. Aliae patebant, sine externo pariete, tanquam porticus aut ambulacrum; aliae angustâ januâ, intus cameratae, junctae sunt item internis ostiis, ita ut tota rupes velut spongia esse posset. 69. Contemplans credidi, has mari esse excavatas: nam sub pedibus pavementum erat saxeam, molliter tanquam fluctibus rotundatum, et quasi per latissimos gradūs ascendens. Omnia mea possem hic optimâ cum disciplinâ disponere; sed de cubiculo erat praecipuẽ cogitandum; nec libebat arborem meam priùs relinquere, quàm munitius quiddam reperirem. 70. Illud animadverti, – nihil saxorum praeter littus jacẽre, quod a rupe cecidisset; et quidem ubi gelu est ignotum,

rerior esse debet talis rupium labes. Porrò pavimenta cavernarum parcâ tantum arenâ vestiebantur, tanquam vento illatâ. Lacunaria fere camerata erant, hic atque hic quasi stiriarum massis distincta. Aquas per rupem stillantes crediderim saxo saturatas fuisse. 71. Littus externum, propius undas, algarum erat ferax, internum, ultra summos aestûs, aliâ quâdam algâ et cactis aliisque spinosis fruticibus opplebatur. Plures horum in decem pedes surgebant, aliquot in quindecim. Ex his silva plurima et quasi umbraculum ante cavernas praetexebatur, nequis e mari vel a rupe oppositâ facile intrò perspiceret. Ego autem, arreptâ sēcuri, continuam sub rupe aperiebam semitam, succisis cactis caeterisque, quidquid nimium obstaret. Jamque velut in meam villam me recondo. 72. E cavernis duas praesertim denotavi, unam pro cubiculo, alteram pro penariâ. Utrâque internum habebat ostium, per quod aura flabat salubris. Senseram autem, et apud Mauros et in Braziliâ, quantûm nox frigidula corpus fervoribus adustum foveret atque recrearet; et si in magicâ hâc horrendâque insulâ (sic eam quandoque vacuis oculis contemplabar) per summos calores habitandum mihi foret, tale cubiculum magni aestimabam. Opera quaedam hic meditabar, si hûc mea omnia congererem; propter quod consulto opus erat. 73. Mari seu terrâ, ipsam ratem, sive bona mea ex rate, deducerem, aut periculosum aut laboriosum fore opinabar. Mox subit haedi cura, cui neque pabulum hoc in loco habebam neque aquam dulcem. Mihimet profecto aquam imprimis anquirere opus erat: sed non diu hujus rei inopiam queror. 74. Etenim postquam

per spinas fruticeti longiús patefeci viam, et dulcem aquam et navale scaphae idoneum invenio. Post quingentos amplius pedes abrupta humus erat, alveo marino intus penetrante, tanquem ostio rivuli. Intelligo alveum hunc, quasi flumen submarinum, ad Postes Saxeos continuari; intus autem navale, mihi satis profundum, etiam in recessu aestûs praeberi. 75. Hunc in alveum rivus e terrâ praeceps decurrebat. Spatium autem praetereundi inter rupem alveumque satis lātum patebat, succisis modò fruticibus. Jam tollenonem mente destino in margine erigendum: sed redeo contentus in vallem, de ordinatione bonorum meorum meditans. 76. Omnia de primâ illâ rate detraho disponoque subter quâdam arbore, cum ipsâ râtis materie. Latēre volebam, si fortè quis adveniret. Plurimas caedo virgas, quae facillimē udo in solo possint frondescere, hasque ita defigo, ut quàm maxime, quidquid sit intus, obtegant. Hùc deduco haedum, velut suum in praesepe. Cistas quae pecuniam, quae astrologicam supellectilem, quae pulverem nitratum continebant, has et capsas scriptorias aliasque res minores, singulatim ad cavernas asportavi: postea culinae instrumentum.

77. Post aliquot dies, his rebus ordinatis, coelo sereno, censeo deambulandum. Caput infulâ densâ, Turcarum more, obvolvor; quod quidem in Braziliâ faciebam. Balteo pistolisque succingor. Grandem cultrum plicatilem sumo ac peram; dein convallem ascendo juxta ripam fluminis. Novâ in regione omnia non possum lectoris animo subjicere, quae meis occurrebant oculis; sed plura conabor paulatim expedire.

78. Avium versicolorum tanta erat multitudo, ut nisi in Brazilîâ praerepta mihi esset admiratio, tunc obstupescerem. Hic autem me praesertim alliciebat pulcerrima illa avicula, quam in Occidentalibus insulis Angli *aviculam bombilantem* appellant. Plura quidem hujus generis passim volitabant, item mira papilionum varietas. 79. Immo, non modò alia prorsùs arborum, fruticum, graminum, foliorum genera apparebant, nostris hominibus ignotu, verùm etiam fere omnis arbor reptatoriis fruticibus, vitium aut hederarum ad instar, vestiebatur; atque adeò, obruebantur plurimae. E tantâ varietate vix quidquam primò poteram agnoscere: ceterum imprimis anquiro esculentas radices atque ignis alimentum. 80. Quidquid juncorum obviam vēnit vel cannarum, medullam exploravi, anne idoneum praeberet fomitem. Tria demùm genera in peram selecta condidi, quae experimento probarem. Aridas sive ligni sive lignosorum foliorum reliquias celerrimâ flammâ arsuras credebam. Talis materiae plures asportavi pugillos. Rubos quoque notavi dumosque aridos, ex quibus immensa copia cremando sufficeretur. 81. Mox fruticem video, qui piper gignit; sed magis gaudebam, quòd dioscoreas esculentas invēni multas. Duo harum genera optima pro certo agnoveram, – quae *alata* appellatur, et quae *globosa*. Ulterius perscrutans, adeo abundare intelligo has radices, ut, si conservari possint, cibus semper futurus sit in promptu. Jam *cinchonam* video arborem, colligoque ramulos plures. Ne longus sim, satis sit narrare, me circa hos locos postea invenisse medicas quasdam herbas, quas in Brazilîâ

didiceram, et alias quas pro condimentis ciborum aestimabam.

82. Acclivitas vallis augescebat. Vix quatuor millia passuum aestus marinus in terram penetrat; sed modicus rivus pluresque rivuli descendebant per plantas et arbusculas. Propius ad colles densantur generum diversorum arbores, grandes aliquot. Nova simul atque arida folia in eâdem consistebant arbore, id quod colores pulcerrimos contendebat: immo, exoriebantur fructuum germina ipso e ramo, unde pendebant fructūs putrescentes.

83. Quinque vel sex millia continuavi iter, semper ascendens convallem. En vero, hic loci seges illa pretiosissima blanditur oculis, *zea* virore et auro fulgens. Plēnē maturam credidi. Humi jacebant grana plurima et siliquae. Pigebat me, quòd major mihi pera non erat in promptu. Quantum potui, inferciebam, jamque pro certo habebam cibum mihi nunquam defore. Tandem colles sinistri se demisere; atque alia vallis, latior atque amoenissima, quasi hortos viridissimos in sinu suo retegat. In fronte mihi assurgebant juga altiora, montes paene dicerem, spissis vestita herbis, ex quibus undique stillabant rivuli perennes. Arbores fructificas admiror, inter quas dispiciens agnosco citros, aureas mālos,<sup>6</sup> et Assyrias mālos, quas *limonas* appellamus. Sanē jucundissimus erat ruris aspectus, meque sensi esse opulentum latifundiorum dominum. Utramque vallem mihi tanquam proprium protinus assero, nominoque priorem convallem meam, vel Convallem Fluminis, alteram Hortos meos.

84. Multū me alliciebat hortorum amoenitas, copia

---

<sup>6</sup> Orange trees.

arbōrum et dulcis aquae, defensioque montium. Deliberabam de commigrando illūc, nisi quòd nollem maris prospectum amittere, si navīs veniret: immò, prorsùs nolui cymbae scaphaeque usū renunciare: necnon per pluviales horas nihil cum cavernis meis videbatur contendere. Etenim hâc in regione caeli liquebat mihi dirissimas aliquando esse expectandas procellas, quae tentoria ac domicilia perverterent; tali in tempestate nil cavernis esse comparandum. Pigebat me videre fructūs plurimos et optimos humi prostratos et aquâ putrescentes. Arbores passim vim venti prodebant. Sine dubio autumnales procellae tantas fecerant ruinas. Seriùs ego hos in locos processeram, messe fructuum praeteritâ. Attamen hōc sub astro tam vegeta est vis terrae genitalis, ut novi fructus apparent, qui mox possent maturescere. Plures horum concupivi, et de modo convehendi meditabar.

85. Redii ad cavernas alacer animi, curarum oblītus. Peram oppleveram illis rebus quas memoravi; loculos autem vestium aromatis, gummine et citreis mālīs aliquot. Protinus novos thesauros curatē digero. Denique a cavernis in arborem meam propter noctem retro cedere, paulò laboriosius videtur.

86. Māne quum expergiscor, sentio dierum me amisisse computationem. Ne prorsus fierem barbarus, ad disciplinam puerilem me reduxi. Dies incipio in digitis numerare. Quid unoquoque die fecerim, ego mihimet recito; inde comperio, quinam sit hodiernus dies. Tum volo mathematicus rationes retractare. Dixi me quatuor libros e navi avexisse. Unus erat

precum sacrarum libellus, secundum normas Papales: alterum erat de Geographiâ: tertium nihil habebat nisi numeros ad usum navigandi digestos: quartus ipsam nautarum mathematicam tractabat. Hanc perlego libenter. Quippe non solùm solitudine animum avertit, sed absolutius quiddam et sublimius subjecit cogitanti, ne semper de meis tantummodò curis satagerem.

87. Quaerere potest lector, quî factum sit, ut ego, patre invito navigans, nauticam mathematicam edidicerim. Videlicet, admodùm juvenis Londinum petii, navem anquisiturus, in quâ peregre irem. Magna mihi tunc illa felicitas videbatur, quòd humanissimo cuidam viro, navis magistro, incîdi, in Guineam navigaturo. Is me clementissimè exceptum, pro suo sodale habuit; persuasitque ut, quantam maximam possem conquirere pecuniam, hanc commutarem idoneâ merce qualem ipse admonebat, et apud se collocarem. Ego igitur quosdam ex amicis pecunias rogabam, hique, exoratâ matre meâ, fortasse etiam patre, quadraginta lîbras Anglicas ad me remiserunt. Eas autem magister optimus sic administravit, ut, ex Africâ demùm reversus, mercem quam rettuli, nempe aureum pulverem, Londini trecentis lîbris Anglicis mutaverim. Porrò (quod eram lectori demonstraturus) ipso in cursu, cum benevolentîâ vere paternâ, omnia quae navis magistrum scire oporteret, diligentissime me docebat, praesertim astrologicorum praecepta, viasque caelum servandi. Ego sane, tantâ caritate delenîtus, summâ industriâ haec in studia incubui, rediique ex hâc expeditione magnopere auctus mentis vi, sive ad navigationem,

sive ad mercaturam. Atqui, O meam maximam calamitatem! amicus ille summus meus atque alter pater, morbo vehemente correptus, decessit subitò. Hujus me tenera subit memoria, dum praecepta mathematicorum retracto, dum stellam Polarem observo, locique latitudinem (quam appellant astrologi) colligo, item dum noctibus singulis omnium horologiorum libramenta convoluta intendo.

88. In animo imprimis erat, ut Cristiano more septimum quemque diem quodammodo religiose observarem; enimvero mecum constituebam septenorum dierum opera. Sic (credebam) temporis computationem eram servaturus. Mox vidi fore ut multa me prohiberent ullam praefinitam laborum rotam persequi; necnon sine religiosâ contione res nihili mihi erat dies Dominicus: itaque ad aliam rationem me properē converti. Novae lunae observantur facillimē et paene necessario. Navis fracta erat nocte proximâ post novam lunam: quando altera advēnit nova luna, decrevi mecum, atque unum defōdi stipitem propter mensem lunarem. Postea elegantius res administrandas censeo. Paxillos praeparo tredecim modicos et compares, gemens identidem si universum annum hic mihi degendum erit. In assi idoneae magnitudinis tredecim foramina terebro, illis paxillis accommodata. Quoties redit nova luna, paxillum solemniter infigo. Post lunam tredecies novatam, cunctos extraho paxillos, grandius terebro foramen et grandiozem insero palum. Hic pro anno lunari valet. Mox procedente lunâ, menstruos paxillos alium post alium restituo. His constitutis, novâ quîvis

lunâ poteram computando affirmare, quinam esset ille dies  
secundum Europeas temporis rationes.

## CAPUT (IV.) QUARTUM

89. Jam ad res convehendas trahulam decerno parare: nam rei fabrilis non eram imperitus. Hanc profectò artem in Braziliâ magnopere exercebam, cùm propter varios usûs, tùm quia ipse me animus excitabat. Fabrilis nempe opera valdè fuit necessaria nobis, nec servis nigritis satis bene cognita. Faber noster lignarius, bonus ille quidem vir, malleo fortiter feriebat, serrâ patienter laborabat: sed accuratè metiri, coarctare commissuras, immo, rectam lineam ducere, vix calluit; nedum designare opus. Si novam quandam casam vel officinam struere oportebat, praepropera ejus industria absurdissimique errores angebant me. Itaque hunc dum paro docere, ipse artem disco. Mathematicâ meâ scientiâ qualicumque adjutus, poteram sanè plura animo moliri, in chartâ describere, constituere, computare. Mox ipsis ferramentis manu prehensis, delineabam, dissecabam, runcinabam; nihil quod lignarii fabri est, intentatum relinquo. 90. Jamque, ut dicebam, ad confingendam trahulam me converto, quae èt per arenas et super leviolem rupium superficiem facilè currat. Dolio quodam ligneo, quod perfractum erat, detraho circulos ferreos. Hos, velut calceos, trabibus duobus brevibus paribusque, leniter curvatis, subjicio. Suprà, simplicissimum constituo currum, in quo vehatur onus viribus meis tractu non nimium. Restim addo, atque finitum est opus. Quoniam in recessu aestûs continuus erat arenae margo a praesepti meo usque

ad portum, hâc viâ, quaecunque vellem, in animo erat trahere: nec jam manibus humerisque portabam. Postea domum ipsam curatiùs digero atque excolo.

91. Conclavia verò habui nulla; plura quidem septa, siquidem unaquaqueque caverna, seu locus cameratus, erat pro septo. Principale septum meum ipsius erat *cubiculum*, de cujus munimentis erit dicendum: dein *penaria*, pro cibo qualicunque: tertium, *culina*; tum, *fumarium*; deinceps *armamentarium* sive *fabrica*; sextum erat *musëum*. In musëo libros, horologia, astrologicam suppellectilem, libram trutinariam, materiam omnem scriptoriam repono, cum sellâ e tribus quas habebam optimâ. Harum rerum aliquot cum pecuniâ in cistis erant: mensam postea confeci. Septimum septum continere debebat ignis materiem; *lignarium* appellabam. Octavum pro *fructuario* cedebat. Novum pro haedi *stabulo* destinabam. Decimum ac remotissimum nitrati erat pulveris repositorium.

92. Cubiculum autem tale fuit. Angustâ ac celsâ fenestrâ intrabatur, cujus limen quinque pedes ab externo sôlo, duos ab interno aestimaverim. Alteram intus habebat fenestram, per quam aura flabat salubris: hanc tamen, prae multâ meâ cautione, transennâ protexi. De vallandâ externâ fenestrâ cogitaveram; sed arboreum meum opus imitari, in saxo nimis difficile videbatur. Plures portarum formas considero, mox rejicio. Puteum potiùs volo sub fenestrâ fodere, quem ipse scalis transeam, dein scalas intus ad me retraham.

93. Navales scalae meri erant gradûs lignei, firmiter constricti funibus, qui pondus hominis tutò

sustentabant. In navis lătĕre septem ampliùs dependebant pedes. Lătĕra nunc his adjungo lignea, tantummodo ut rigōrem, non ut robur addam; nam funium robur sufficebat; sed quia flexiles erant, id hic erat incommodum. Scalae sic refectae octo pedum habebant longitudinem. 94. Deinde ligones recognosco cunctos, et marras bifurcas trifidasque, si quid horum possit cuniculariae hastae vicem gerere; solum enim calcarium robusto egebat ferramento. Talia inveni instrumenta, quorum ope puteum, brevem sanē, defōdi sub ipsâ fenestrâ, duo tantum pedes altum, sed quatuor ampliùs a rupe exstantem. Vecte ferreo, quanquam non acuto, graviora saxa amolitus sum, postquam initia penetrandi factu sunt. Tum hōc puteo adēd protectus videbar, ut ne a pardo quidem foret metuendum. 95. Illud enim me confirmabat, quōd feles ferae quae non naribus confisae venantur, nunquam possent conjectare, quid in meo cubiculo dormiret. Ego verō interdum serpentes quoque formidabam: sed nunquam ne unum quidem anguem, magnum parvumve, meā in insulâ vidi; quae, velut Hibernia, sancti Patricii benedictione videbatur frui. Stelliones erant in cavernis, quos fovebam, quia muscas insectasque comedunt: et sanē facilē mansuescebant. 96. Si ligonibus res non cessisset, fodinam paratus eram nitrato pulvere displodere. Praetermisi narrare, me, postquam dolium pulveris nitrati aquâ marinâ corrupti deportavi, intus crustam invenisse duram, intra quam pulvis siccus erat et planē incolumis. Crustam malleo comminutam reservavi, et pro experimento, vel lusûs causâ, aliquoties in pyrotechnicam

adhibueram, diffisus posse in aliquam utilitatem converti. Postea credebam rudera haec nitrata ad fodinas displodendas esse accommodata: igitur asservavi, si fortè usus vĕniret. 97. Pulvere nitrato eram profecto assuetissimus, de quâ re libet ampliùs explicare lectori. Etenim dum degebam in Braziliâ, maximo studio missilis plumbi dirigendi peritiam colebam. Nec sanĕ unquam hujus exercitationis fueram alienus; sed neque patriam circa urbem, neque super mari opportunitates eam excolendi reppereram. Attamen in Braziliâ, rure aperto, ingentibus silvis, ubi prodigiosa insectarum vis mirificam avium quōque copiam in aeternum praestat, si quis sub sole potest esse agilis, ad aves venandas ipso agro attrahitur. Primò habebam ignipultam quandam a domino meo Maurusio dereptam; mox meliores quaesivi, imprimis ex Lusitaniâ. Postea Helvetici cujusdam viri, qui Romae mercenariorum militum praefectus fuerat, ignipultas duas vel optimas fortè potui ĕmĕre, unam duorum tuborum; quas quidem hujus filius, post patris mortem illatenùs evagatus, inter alias res vendidit. Equidem ad tela illa probanda in scopum aliquando collineabam: sed quia valdĕ incertus erat a longinquo jactus, plures ac minores uno in tubo conferebam glandes, quae, per aera dispersae, latius ferirent. Furcâ item *bitubam* illam sustentabam, propter certiozem ictum. Et quoniam grandiores illic abundabant alites, ut vulturius, ut ferus olor, ut grues atque ardeae nostris diversae, – nec deest struthio quidam – hos quoque pilulis olorinis petebam, jaculandique omnino peritissimus evasi. Proh caecitatem hominum! quippe nesciebam

quantum in solitariâ insulâ haec mihi ars esset profutura.

98. Simul ac cubiculum satis firmaveram, volui illuc commigrare, cunctis cum animalibus meis. Haedus paululum clauda erat, id quod non dolebam: tanto minus erat me effugitura. At verò tres jam mihi erant haedi, de quo narrandum erit. Ceterum falcato gladio quidquid idoneum videbatur herbarum aut frondium demetebam et convehebam ad cavernas: multum sanè sōli expositum siccatumque recondidi. Haedos omnes suo in stabulo composui.

# Конец ознакомительного фрагмента.

Текст предоставлен ООО «ЛитРес».

Прочитайте эту книгу целиком, [купив полную легальную версию](#) на ЛитРес.

Безопасно оплатить книгу можно банковской картой Visa, MasterCard, Maestro, со счета мобильного телефона, с платежного терминала, в салоне МТС или Связной, через PayPal, WebMoney, Яндекс.Деньги, QIWI Кошелек, бонусными картами или другим удобным Вам способом.